

omissionem? Omissa autem statuto aliunde supplenda non esse, nec Meuius negat ad Ius Lub. P. II. Tit. II. art. 1. num. 17. 18. 19. Quinimo ipso illo articulo successionem vicariam in genere circumscribi et sufflaminari inde collegerim, quod filii nepotesque, quorum hi alioquin vi repraesentationis simul cum illis succedunt, in discretas singularesque classes sunt descripti. Neque statuti Lubecensis Partis II. Tituli II. articuli 18. et 22. praecedente §. XXIX. recitati quidquam negotii nobis faceissent. Nam defuncto propior quidem est fratris filius vel filia, quam patruus et auunculus seu amita et matertera secundum articulum 18. Item fratrum ex utroque latere iunctorum liberi propiores sunt defuncto unilateralibus secundum articulum 22. At non repraesentationis, sed peculiaris constitutionis iure. Quemadmodum ex iuris Lubecensis peculiari constitutione fratres separati, wann sie abgesondert seyn, ipsis ascendentibus gradu sunt defuncto propiores, P. II. Tit. II. art. 1. Quemadmodum etiam ex singulari Lubecensis statuti providentia frater et soror, ut ut unilaterales, avo aviaque in successione anteponuntur, vid. dict. art. 1. Ut adeo vel ex his manifestius Statutorum, quantum ad ordinem attinet successionis ab intestato, varietas diuersitasque spectetur, clarissimo indicio, rem hanc omnem ad ciuitatis esse referendam arbitrium. Vnde quoque facere non possum, quin ad stipuler iis, qui nec vestigium iuris repraesentationis inter collaterales in Lubecensibus legibus apparere existimant.

§. XXX.

Quae quum ita se habeant, neque in Ducatu Holsatiae, si, quae ibi seruantur, ius Saxonicum et Lubecense respicias, neque in ipsa Ciuitate Lubecensi, ius repraesentationis in successione collateralium obtinere concludendum est. Verum

Quamuis vero neque in Holsatia neque in Ciuitate Lubecensi, si iura Saxonica

F 2

enim.